

XLV. Hinc rursus intelligitur, quam rationem & causam habent noui hi Philosophi, cur tantopere oderint & eliminare contentur Philosophiam *Cartesianam*; licet aliquando, ut tibi sint, quum sibi metuunt, vel & ut paradoxis & absurdis suis dogmatis speciem & fidem concilient, ad *Cartesium* & *Cartesianos* prouocent, tanquam consentientes, eorumque nomine & auctoritate abutantur. Notum est, nullam aliam Philosophiam tam clare explicare mentis naturam, eiusque distinctionem a corpore, & consequentem inde immortalitatem mentis. Hinc nulla Philosophia adeo contraria & opposita est conatui nouorum horum Philosophorum, & prætensiæ ignorantiae naturæ mentis, aut confusione mentis cum corpore. Philosophi, qui *naturam mentis*, imo & *corporis*, volunt esse ignorantiam, non satis solide possunt confutare eos, qui mentem cum corpore confundunt. Vti & Cl. *Clericus* ex eo, quod *mentis* ut & *corporis*, essentiam fingit ignorantiam, dicit, nos debere dubitare, an non unum & idem subiectum, una & eadem substantia, subsit proprietatibus mentis & corporis; utrum duæ diuersæ; hoc vult nos latere; *Pneumatologiae* Sect. I. Cap. §. §. 5. 6. 10. 14. 15. 18.

XLVI. Sed *Cartesius* Med. 6. pag. 43. 44. probat, magnam esse differentiam inter mentem & corpus, ex eo, quod corpus ex sua natura sit semper diuisibile, mens autem plane indiuisibilis. Contrariæ hæ proprietates, quæ ex ipsis eorum naturis necessario sequuntur, diuersas naturas, substantias, siue subiecta, requirunt. Ita Art. 60. Part. I. Princ. probat distinctionem *realem* mentis & corporis, qualis est inter duas substantias; & quidem ex eo, quod mentem sine corpore ut existentem clare & distincte possimus percipere; & vice versa. Imo clarius adhuc cognoscemus, quanta sit distinctio inter mentem & corpus, nim. *essentialis*, si comparamus essentiam mentis cum essentia corporis, proprietates vnius cum proprietatibus alterius, sic & utriusque modos. Si comparamus cogitationem perenniter existentem (quæ plurimis modis subiicitur, qui inde dicuntur *modi cogitandi*, siue *cogitationis manentis* & perenniter existentis,) cum *extensione*, re extensa, cui alii modi insunt: quanta est dissimilitudo? Cogitatio non est *extensio*. Cogitare non est *extensum* esse in longum, latum & profundum. Corpus ex natura sua est *diuisibile*; habet enim partes ab inuicem separabiles: mens vero ex natura sua est *indiuisibilis*; quia nullas

D

habet